

peccatis alienis communicet: "Neque enim, ut præcatis verbis ſubjungit Chryſoſtomus, ea res periculo caret: eorum, quæ ille peccaverit, tu quoque poenam dabis, qui initium ædiſti etiam præcedentium delictorum.

VI. Vita quidem Religioſa ex ſuo inſtituto, atque regulariter acta plurimum valet, ut quis ad Sacros Ordines diſponatur: notum eſt illud Auguſtini *epiſt. 132.* "Omniem conditionem includere bonos & malos, eſſeque Clericos proinde falſos ac Monachos. Sunt & Monachi falſi, & nos novimus tales: ſed non perit fraternitas pia per eos qui profitentur quod non ſunt; tam enim ſunt Monachi falſi quam Clerici falſi, & fideles falſi.

VII. Notum quoque eſt, non omnem, quæ Monachis ſufficeret perfectio, ad Sacros Ordines, præſertim Presbyteratus ſufficere. *Multò major*, inquit S. Chryſoſtomus, *vita integritas huic (Presbytero) quam illis (Monachis) neceſſaria.* Hinc illud Auguſtini, *aliquando bonus Monachus vix bonum facit Clericum. Lib. 2. De Sacerdot. c. 2.* Quibus conſonat illud Doctõris Angelici: "Ordines Sacri præexigunt ſanctitatem: ſed ſtatus Religionis eſt exercitium quoddam ad ſanctitatem conſequendam: unde pondus Ordinum imponendum eſt parietibus jam per ſanctitatem deſecatis, ſed pondus Religionis delictat parietes, id eſt, homines ab humore vitiorum." *2. 2. q. 189. a. 1. ad 3.*

VIII. Quapropter SS. Patres, etiam in primo Religionis Monachicæ fervore, non omnes paſſim ad Ordines Sacros promovendos judicabant, ſed quos *morum gravitas & vite ac fidei inſtitutio ſancta commendat*, ut loquitur Siricius Papa. *Ep. 1. c. 13.* Unde ad Aurelium ſcribit Auguſtinus: *Cum ex his qui in Monasteriis permanent, non tamen niſi PROBATIORES atque MELIORES ad Clerum aſſumere ſoleamus.* Et ſanctus Gregorius Candido Epifcopo ſcribens ut de Monasteriis in ſua Dioceſi poſitis cum conſenſu Abbatibus aliquos accipiat in Presbyteros ordinandos, hoc monitum ſubjungit: "Sed illius præ omnibus eſtote ſolliciti, ut vitam actusque eorum qui in hoc ſunt officio conſtituentis, diſtributer debeatis inquirere, & tunc eos, ſi digni fuerint, ordinare." *Lib. 5. Epif. 27.*

IX. Cum ad Epifcopum ſpectet Ordinandi manus imponere, atque juxta Apoſtolum ſi manus citò imponat ipſe communicet peccatis alienis, quid mirum ſi ubique in Sacris Canonibus & Patribus priamæ examinis cura ipſi Epifcopo imponatur & deferatur; ut pote cujus præcipue intereſt, ne indigni promoveantur. Hinc illud Innocentii III. in *Cap. VENERABILEM De Electione.* "Eſt enim regulariter & generaliter obſervatum, ut ad eum examinatio pertinet, ſonæ pertinet ad quem impoſitio manus ſpectat.

Ad hæc cum Epifcopo totius populi cura & Dioceſis regimen primario incumbat, quid æquius aut juſtius, quam ut Epifcopus examinet ac inquiret in illos qui per ſacram Ordinationem in Miniſtros & cooperatores Epifcoporum aſſumendi ſunt?

X. Unde ſi in aliqua Eccleſia ſit conſuetudo, quod Archidiaconus Ordinandos examinet, nequaquam tamen excluditur Epifcopus, ut etiam ab Archidiacono examinatos rurfus de novo examinet, uti docet Gloſographus ad *Cap. ACCEPIMUS De Etate & qualitate Ord.* verbo *Examinari.*

XI. Seculo præterito invaluerat in quibuſdam Dioceſibus Provinciæ Colonienſis, ut in Scholaſticis Cathedralium Eccleſiarum in aliis vero in Prælatos alios cura examinationis Ordinandorum delegata eſſet; niſi que examinandi jus eſſet quaſitum, & majora quam cæteris Canoniciſtis ſtipendia ab Eccleſia decreta.

Verum plerique Scholaſtici, & illi penes quos erat examinandi potestas jura quidem ſua tuebantur, nec tamen docebant juvenutem nec examinabant: Officiumque & curas alias aliis, non multò melioribus examinatis interdum delegabant: quo fiebat, ut alio in alium hanc curam transferente aut nulla aut perfunctorie & admodum

frigide fierent examinationes Ordinandorum; uti deplorat Synodus Colonienſis anno 1549. titulo *De altero medio ad reformationem neceſſario cap. 2.* cui malo ut mederetur ſubjungit: "Quem defectum ſupplere cupientes & examen, ad ſua principia, hoc eſt, ad Epifcopos revocare, quibus ex lege divina incumbit, nemini citò manus imponere, matura deliberatione præhabita, declaramus, Epifcopos non debere ejuſcemodi examinationibus (quando non ignorant eas perfunctorie factas) ſtatim acquieſcere, & inquisitionis ſpecie, quam ex reliquiis antiqui moris retinent, in altari cum rogant utrum ſint digni, juſti & ſancti putare ſe ſatiſfeciffe, atque ita inutiles & indignos homines, nonnunquam etiam ſceleratos, ab aliis fortè (quos ea cura non admodum tangit) dignos judicatos, Sacris illis Ordinibus contra conſcientiam propriam inſignire. Eaque de cauſa requirimus Provinciæ noſtræ Epifcopos, in Domino, ut vel ipſimet huic ſuo muneri ſatiſfaciant, vel curam illam imponant viris pijs doctis, & de Eccleſiæ profectu ſollicitis, quorum diligentia fit eis explorata, niſi certiffimo experimento cognoverint Scholaſticum, vel eum ad quem hoc pertinet, diligentiam talem, cui meritò fidant, adhibuiſſe.

XII. Hic ſupponit Concilium, examen Ordinandorum propriè ac primariò ad Epifcopum ſpectare; unde S. Carolus in ſua Synodo Mediolanenſi *V. parte 3. titulo De Examinandi ratione*, examinis initium fieri vetat, niſi præſentes adſint Epifcopus vel Vicarius ipſius. Et in Synodo Mediolanenſi *IV. parte 2. titulo Qua pertinent ad Sacramentum Ordinis* præſcribit, ut id Epifcopus, quantum ſibi per occupationes licet, maxime curet, ut cum experimentum examen de iis inſtituitur, qui Ordinibus præſertim majoribus inſtituendi, qui que Eccleſiæ Parochialibus præficiendi ſunt, ipſe præſens in eo examine adſit.

XIII. Supponit inſuper Concilium poſſe ſubinde aliquibus eſſe juſtè aliquod examinandi Ordinandos; quod & juri conforme eſt, nam de jure Archidiaconorum eſt, examini Ordinandorum intereſſe, uti ſupra *parte 1. tit. 12. cap. 1. nn. 14. & 15.* oſtenſum eſt.

Bulla quoque erectionis novorum Epifcopatum in Belgio, vult, ex ſenioribus Graduatis Canoniciſtis duo in Theologia, & unus in jure Canonico Graduati una cum Archidiacono curam habeant examinandi promovendos ad Sacros Ordines.

XIV. Ulterius Concilium Colonienſe ſupponit, quod licet quibuſdam ſpecialiter impoſita ſit cura examinis, nihilominus penes Epifcopum maneat auctoritas aliquos ſibi coexaminatores aſſumere.

Hos vero examinatores præcipue de gremio Cathedralis Eccleſiæ aſſumendos eſſe ſat inſinuavit jam pridem Concilium Nannatenſe *cap. 11.* apud Gratianum *Diſt. 24. Caus. QUANDO*, dum dicit, Examinatores à Latere ſuo eligere debere Epifcopum. Qui enim à Latere Epifcopi dicuntur niſi Canonici Eccleſiæ Cathedralis? Hi quoque Clerum & Senatam Eccleſiæ repræſentant; quare ſicuti olim cautum fuit, ne Epifcopus ſine Clericorum ſuorum Concilio Clericos ordinet *Can. EPISCOPUS Diſt. 24.* ita conſentaneum apparet, ut potius Canonici Cathedralis, quam alii in Examinatores (cæteris paribus) aſſumantur.

XV. Non apparet nihilominus Epifcopo adempta libertas aſſumendi Examinatores Ordinandorum, etiam non Canonicos Cathedralis. Synodus Tridentina *Seſſ. 23. cap. 7. De Reformat.* ſimpliciter dicit: "Epifcopus autem ſacerdotibus & alijs prudentibus, peritis, divinæ legis, ac in Eccleſiaſticis functionibus exercitatis ſibi adſcitis Ordinandorum genus perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inveſtiget & examinet. Nulla hic Canonice Cathedralium aut aliorum Clericorum aut ſacerdotum ſpecialis prærogativa quoad hoc examen inſinuat; ſed arbitrio Epifcoporum Examinandorum electio apparet eſſe concedita; & ita probat præxiſhodierna Belgii.

XVI. De-

XVI. Dotes examinatorum à Synodo Tridentina expreſſæ etiam in Concilio Nannatenſi loco citato occurrunt, volente ut Epifcopus in Examinatores eligat Sacerdotes & alios prudentes viros *gravos divina legis & exercitatos in Eccleſiaſticis functionibus.*

Et ante hos S. Gregorius ſcribit Adeodato Epifcopo *lib. 2. Epif. 48.* "Si quando de his recipiendis (nempe ad SS. Ordines) tractari neceſſe eſt, graves experioſque viros conſilijs veſtris adhibete participes, & cum eis communi de hoc deliberatione penſate.

XVII. Monet autem univerſos Examinatores S. Carolus in ſua Synodo Mediolanenſi *V. parte 3. tit. 2.* "ut quicumque ſint, noverint, ſibi munus adeò grave committi, ut ſi negligenter, aut male ſe ullo modo geſſerint, Deo in primis culpa in eo munere admiſſæ exactum rationem reddaturi ſint.

"Quare non ſpe, non metu, non præmio, non perſonarum ratione, non aliquo affectu ducti, muneris ſibi commiſi curam gerant.

"Propoſito ſibi in primis timore Dei, ne quemquam, quem indignum nôcint, probent: rurlus, quem experimento, periculo ve factò, idoneum dignumque comperiant, ne rejiciant, itaque graviter, mature, prudenter, rectèque tum de probando, tum de rejiciendo deſerent.

"Cum in locum convenierint, ubi moris eſt, clericorum experimentum fieri, priuſquam aggrediantur, à ſtata præſentate, orationeque congregationum uſui præſcripta, quam de libro pronuntiet, qui examini præſidet, initium faciant, hoc præ intimeque precantes, ut Dei ope in primis illud rectè, prudenter, divinæque voluntati congruenter conſiciant.

XVIII. Examen hoc imprimis inſtitui debet ſuper vita & moribus ipſorum Ordinandorum, quemadmodum ſtatuit Synodus Tridentina *Seſſ. 23. cap. 7. De Reformat.* ut nimirum expendant, an tales ſint Ordinandorum mores ut eorum probata vita ſeneſtus ſit, uti loquitur Synodus Tridentina dicta *ſeſſ. cap. 12.* vel uti de Ordinandis in Presbyteros ait Synodus eadem ſeſſione *cap. 14. Ita pietate ac caſtis moribus conſpicui ut præclarum bonorum operum exemplum, & vita moribus ab iis poſſint expectari: vel uti loquitur Pontificale in Ordinatione Presbyterorum; quod odor vite eorum ſit delectamentum Eccleſiæ Chriſti; ut prædicatione atque exemplo adſcendant domum, id eſt, familiam Dei.*

An promovendorum in Diaconos ea ſit vitæ integritas, ut ſpes ſit, illos futuros tales, qui tanquam veri ſucceſſores Ordinis Levitici, *Eccleſiam Dei velut Tabernaculum portare, & munere debeant ornatu ſancto, prædicatu divino & exemplo perfectò*; uti ad Ordinandos Diaconos loquitur Pontifex ordinans.

Si promovendorum ad Subdiaconatum talis ſit vita, ut de iis ſperari queat, ut ſi humana fragilitate contingat in aliquo fideles maculari, præbenda ſit ab iis aqua celeſtis doctrina, qua purificati ad ornamentum altaris, & cultum divini Sacrificii redeant.

XIX. Ut verò Epifcopus de vita ac moribus ipſius Ordinandi facilius inſtruat, vult Synodus Tridentina citata ſeſſione *cap. 5.* ut "hi qui ad ſingulos majores Ordines erunt aſſumendi; per menſem ante ordinationem Epifcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus, ac deſiderio eorum, qui volent promoveri, publicè in Eccleſia propoſitis, de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquireat; & litteras testimoniales, ipſam inquisitionem factam continentes, ad ipſum Epifcopum quamprimum tranſmittat.

Si juxta tenorem hujus Decreti, ordinandi menſe uno ante Ordinationem ſe Epifcopo ſiſterent, indubiè id plurimum conduceret, ut Epifcopi ſe prævidè ante Ordinationem de moribus, atque capacitate, cæterisque Ord-

nandorum qualitatibus informare poſſent.

XX. Quod verò Synodus velit, nomina ac deſideria eorum qui Ordinandi ſunt per Parochum, aut alium cui Epifcopus commiſerit, publicè in Eccleſia proponi, id priſtinæ diſciplinæ conforme eſt. Jam pridem enim Patribus uſitatum fuit, nomina promovendorum ad Eccleſiaſticum Miniſterium publicè populo proponere; eorumque testimonium de Ordinandorum vita ac converſatione exquirere, teſte Cypriano *epiſt. ad Clerum & plebes in Hiſpania;* ubi docet, *Ordinationes non niſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri oportere, ut plebe præſente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur.*

Hinc illud Concilii Carthaginenſis *IV. Can. 22.* apud Gratianum *Diſt. 24. Can. 6.* "Epifcopus ſine Concilio Clericorum ſuorum Clericos non ordinet; ita ut civium conſentiam, & teſtimonium queat.

XXI. Patrum diſciplinam hodiernum Pontificale in Presbyterorum Ordinatione exprimit his verbis: "Quoniam, fratres chariſſimi, rectori navis & navigio deferentiam, eadem eſt, vel ſecuritatatis ratio, vel communis timoris; par eorum debet eſſe ſententia, quorum cauſa communis eſt. Neque enim fuit fruſtra à Patribus inſtitutum, ut de electione illorum, qui ad regimen altaris adhibendi ſunt, conſulatur etiam populus: quia de vita, & converſatione præſentandi, quod nonnunquam ignoratur à pluribus ſcitur à paucis, & neceſſe eſt, ut facilius ei, quis obediendam exhibeat ordinato, cui aſſenſum præbuerit ordinando. Horum ſi quidem Diaconorum, in Presbyteros, auxiliante Domino, ordinandorum converſatio (quantum mihi videtur) probata & Deo placita eſt, & digna (ut arbitror) Eccleſiaſtici honoris augmento. Sed ne unum forte, vel paucos, aut decipiat aſſenſio, vel fallat affectio, ſententia eſt expetenda multorum. Itaque quid de eorum actibus aut moribus noveritis, quid de meritò ſentiat, libera voce pandatis; & his testimonium Sacerdotii magis pro merito, quam affectione aliqua, tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contra illos, pro Deo, & propter Deum, cum fiducia exeat, & dicat; verumtamen memor ſit conditionis ſuæ.

XXII. Verum cum adverterent Patres Tridentini, hanc populi conſultationem inter ipſa Ordinationis ſolemnia ex præſcripto Pontificali fieri ſolitam, tandem factam eſſe merè cæremonialem, aliam prævidè ante Ordinationem fieri voluit publicè in Eccleſia. Unde Synodus Irenenſis ſub Rithovio *tit. 18. cap. 6.* poſtquam egit de inquisitionibus per hujusmodi publicam nominum in Eccleſia denuntiationem addit: "Quæ inquisitiones eo pertinere creduntur ut aptius juxta Pontificalia cohæreant, quæ de testimonio populi, in ordinibus, ex veteri conſuetudine requiruntur.

XXIII. Hæc ſat oſtendunt, mentem Eccleſiæ in hac nominum proclamatione eſſe, ut omnes adnoneantur, ſi quid contra Ordinandos notabile opponendum ſciant, illud manifeſtent, atque ita de vita & converſatione, nec non reliquis ad Ordines requiſitis neceſſaria & juſta informatio haberi queat.

Neque illum Eccleſiæ ſcopum obſcurè expreſſit Synodus Tridentina, dum ſatis inſinuat, hanc nominum publicam in Eccleſia propoſitionem fieri, ut ipſe de Ordinandorum natalibus, ætate, moribus ac vita diligenter à fide dignis inquirere valeat.

De hoc Eccleſiæ ſcopo non dubius S. Carolus, voluit, ut hæc nominum publicatio fieret à Parocho, ab eove cui Epifcopus id negotii dederit, publicè die feſto inter ſolemnia, in Eccleſia Cathedrali & Parochiali propria, & in illa quoque in cujus ſinibus poſtremo domicilium habuerit, & præterea ubi Epifcopus cenſuerit.

XXIV. Synodus P. II. Mechlinienſis *tit. 9. cap. 3.* vult, ut ſiant proclamationes promovendorum ad ſingulos Ordines majores juxta Decretum Concilii Tridentini, & qui de iis non docuerint, rejiciantur.

Syno-

Synodus P.I. Cameracenſis *tit. De Miſſeris Eccleſ. cap. 3.* ſimiliter requirit, ut „Dominica die ante, ſive per mentem ante Ordines futuros, aut prius Paſtores Eccleſiarum „*nominatim* denuntient populo eos, qui promoveri velint „ad Sacros Ordines, ut liceat opponere, ſi quid vitii deprehendi poſſit, & huius proclamationis factæ adſerant „teſtimonium ordinandi.

XXV. Fuſius ejuſdem Provinciæ Synodus Diœceſana Audomarenſis *tit. 9. cap. 6.* „Curent autem, & ipſi, à Parocho loci domicilii ſui, nomina ſua ac deſiderium, tribus diebus, ſiſtis dominicis aut feſtis diebus, publicè in Eccleſia proponi, ubi, ad formam bannorum Matrimonialium, omnibus & ſingulis ſub excommunicationis pœna mandetur, ut ſi quod noverint canonicum impedimentum, ob quod illi, à ſuſcipiendis Ordinibus repelli, aut non admitti debeant, ſtatim denuntient, ſive illud malam & Eccleſiæ miniſtris indignam converſationem concernat, ſive aliud quilibet. Quibus legitime peractis, curent etiam litteras teſtimoniales Parochi, huiusmodi inquisitionem & bannorum proclamationem factam continentes, quamprimum ad nos tranſmitti, cum declaratione, an aliquod impedimentum, ob quod ad ſacros Ordines admitti non debeant, denunciatum ſit, necne.

Similiter Rithovius Epifcopus Ipreſis in ſua Synodo *tit. 18. cap. 5.* mandat, „nomina ac deſideria Ordinandorum, „*tribus diſtinctis* Dominicis, aut Feſtibus diebus publicè in Eccleſia proponi; „utque Parochus aut alius cui Epifcopus commiſerit, „omnibus & ſingulis (ad formam bannorum matrimonialium) ſub pœna excommunicationis „mandet; ut ſi quod noverint canonicum impedimentum, ob quod Ordinandus, à ſuſcipiendis Ordinibus repelli debeant, ſtatim denuntient.

XXVI. Et Synodus Leodiſis anno 1618. *tit. 8. cap. 4.* præcipit, ut „Ordinandi teneantur Parochum ſuum ante adire, curaque, ut populo ſuo ad Miſſarum ſolemnia „quodam die Dominico, vel feſtivo congregato, idipſum denuntiet, ut ſi quis ſit, qui contra natalia, ætatem, vel *mores* ipſorum quid habeat, Paſtori ſuo quam primum „dicat, litterasque teſtimoniales ejuſmodi publicationis factæ, & nullius impedimenti reperi ſecum deferat.

Post hæc exprimit illos qui Ordinari prohibentur, atque inter alios, „qui rudes & ignari ſunt. „Qui lapſi ſunt poſt Ordinem ſuſceptum. Ebrietati, gulæ aut impudiciæ detiti. Qui in adoleſcentia mæchati fuerint.

Hæc Synodus volens, ut ordinandi Parochum proprium adeant, curentque ipſi ut nomina ſua per Parochum proponantur, hodiernam ferè præxim expreſſit. Neque enim ſolent hodie nomina Ordinandorum ab Epifcopo ad Parochum mitti; imò frequenter ipſi Ordinandus uſque ad extremos dies Ordinationem præcedentes planè ignoti ſunt Epifcopis, ſed ipſimet Ordinandus nomina ſua in ſcedula deſcripta publicè proponenda Parocho exhibere. Neque etiam Parochi teſtimoniales de inquisitione aut publicatione facta ad Epifcopum mittere, ſed Ordinandus ſimplex publicationis factæ teſtimonium dare ſolent; quod ipſi poſtmodum Epifcopo exhibent, uti etiam dicta Synodus fieri vult.

XXVII. Dubium tamen non eſt, quin convenientius, & Decreto Concilii Tridentini conformius eſſet, ut Ordinandus uno ante Ordinationem menſe Epifcopum adirent, & nomina ſua darent, ac tum Epifcopus nomina ipſorum ad Parochum aliumve quem huic rei aptiorem noviſſet, publicanda mitteret, cum obligatione de vita ac moribus Ordinandorum diligenter inquirendi.

XXVIII. Hoc interim ex Synodiſis allegatis conſtat, ſcopum harum denuntiationum ſeu proclamationum eſſe, ut etiam populus de vita ac moribus Ordinandorum teſtimonium dare queat. Quare populus ſubinde monendus, ut liberè Parocho aliſive, quibus magis opportunam videbitur, pandat, ſi quæ vitia Ordinandorum noverit; oſtendendo quantum malum populo & Eccleſiæ ex indignorum

Ordinatione imminet; quodque forſan ipſis imputabitur, ſi vitia ex humana aliqua conſideratione vel timore celantes, inidonei aut vitioſi Ordinentur.

XXIX. Inſuper occasione huius publicationis nominum Ordinandorum, convenit, Parochus excitet populum, ut ſpecialiter oret, quatenus Deus dignos mittat operarios in meſſem ſuam; & Ordinandis miniſterium ſuum adimplendi gratiam infundere dignetur.

Hac de cauſa S. Carolus in ſuo Concilio Provinciali *II. tit. 1. Decreto 21.* juſſit, „ut Dominico die qui ſtata quatuor temporum jejunia, quibus Ordinis Sacramentum admittitur, antecedit, Parochi in ſua unuſquiſque eorum Parochiali Eccleſia, ſupplicationes, litaniasque piè ac religioſè vel intus habeat, vel proſequente fidelium multitudine foris Eccleſiam, ſicut moris, obeat; ut Dei, Sanctorumque ope implorata, tum Epifcopus in eorum delectu, quibus Ordines conferet, Spiritus Sancti lumine illuſtretur: tum illi quibus conferuntur, in vitæ ſanctitate, doctrina, religioſiſque virtutibus proficiant.

Et rursus ejuſdem ſupplicationis indicandæ meminit in Concilio Mediolanenſi *IV. titulo Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis*, monetque iterum, populum ad orandum eſſe excitandum, atque preces publicas reſtituendas, „quibus unuſquiſque ſecum mente reputans, „*quam pauci operari in meſſe multa ſint*, hoc Deum toto corde exoret, ut qui *Dominus eſt meſſis, ipſe mittat operarios in meſſem ſuam*... Quod ut eo nomine Deum populus ſupplex ſæpius oret; id illum ſingulis Dominicis diebus per menſem ante ſacræ ordinationis tempus, crebra cohortatione Parochi intra Miſſarum ſolemnia præmonent.

XXX. Ad hæc meritò monebunt Parochi in promulgatione Jejuniorum *quatuor temporum*, ea poſſimum inſtituta eſſe ab Eccleſia, ut hac pia corporis caſtigazione, & pœnitentiæ operibus, à Deo digni Eccleſiæ Miniſtri impetrentur; ideoque jam pridem in Eccleſia inſtitutum, extra hæc jejuniorum tempora Ordinationes fieri non poſſe; adeo ut contrariam conſuetudinem tamquam abuſum & corruptelam jam pridem reprobaverit Alexander III. ſcribens ad Epifcopum Herfordienſem in *Cap. SANE De temporibus Ordinat.*

XXXI. Poſt hæc Synodus Tridentina *Seſſ. 23. cap. 7. De Reformat.* „Antiquorum Canonum veſtigiiſ inharendo, „decernit, ut, quando Epifcopus ordinationem facere diſpoſuerit, omnes, qui ad ſacrum miniſterium accedere voluerint, feria quarta ante ipſam ordinationem, vel quando Epifcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Epifcopus autem ſacerdotibus & aliis prudentibus viris, peritus divini legis, ac in Eccleſiaſticis ſanctionibus exercitatis, ſibi adſcitis, ordinandorum genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inveſtiget & examinet.

Hoc Decretum deſumptum eſt ex Concilio Nannatenſi in *Can. QUANDO Diſt. 24.* atque conformiter ad hoc Decretum, ſolent Ordinandus in feriam 4. aut 5. ante diem Ordinationis evocari ad civitatem Epifcopalem, ut ibidem examen ſubeant ad præſcriptum Concilii Tridentini. Quo ad ætatem difficultas eſſe non ſolet; hæc enim extracto ex Registro Baptiſmali facile probari poſſet.

XXXII. Circa inſtitutionem, mores, cæteraſque perſonales qualitates Ordinandorum major difficultas eſt; hicque diligentior atque exactior requiritur inveſtigatio atque circumſpectio.

In primis eorum qui in Seminariis Epifcopalibus educantur, ſi Epifcopus eam quæ neceſſaria eſt, in viſitando ac curando ſuo Seminario curam impendat (de qua infra titulo 11.) poterit aliqualem notitiam habere: multumque indubiè hic adjutorii habebit Epifcopus, ſi eruditum, pium atque in diſciplina Eccleſiaſtica exercitatum Seminarium ſui Rectorem adeptus ſit; qui convenientem de ſanctitate atque morum integritate in Ordinandis requiſitâ ideam habeat: cuius

cuius teſtimonialibus litteris de moribus Ordinandus ſecurè fidem adhibere queat.

XXXIII. At illorum qui vel in Academiis, aut parentum domibus hætenus habitârunt; atque ante hæc Epifcopo parum noti fuerunt, maxima ſæpius oritur difficultas; ut de moribus vitæque integritate Epifcopi ſufficienter inſtruantur, ut ſecurè ipſis manus imponere poſſint.

Neque enim ſimiles alia ſolent adferre morum vitæque rectè actæ argumenta niſi vel Præſidum ſeu Rectorum ſuorum reſpectivè collegiorum, aut Parochorum teſtimonia; quibus hi teſtantur, Ordinandos eſſe tales quoad mores & vitam, ut eos ad Ordinem ſuſcipiendum capaces judicent.

XXXIV. Verum quid ex his teſtimoniis ſecuritati ordinariè habere poterunt Epifcopi, niſi apprimè noverint, Præſides aut Parochos eſſe tales, qui ejuſ ſunt eruditionis, prudentiæ & pietatis, ut meritò confidant, quod nulli huiusmodi teſtimoniales ſint daturi, niſi iis quos ſciunt, qualitates Ordinibus ſacris neceſſarias habere?

Aliis quis neſcis, quàm fragile ſæpe ſit argumentum, quod huiusmodi litteris teſtimonialibus innititur?

Quis enim auſit negare, plures hodie juventutis formidæ in Collegiis Academicis præſe; itemque Parochos quamplurimos, qui aliam, eamque multo inferiorem ac vilioſam, in modo planè diverſam de morum integritate vitæque ſanctitatis in Ordinatibus requiſitâ ideam habent ab illa, quam in ſacris Canonibus & Pontificali Eccleſia expreſſit?

Nonne plures videmus huiusmodi Juventutis magiſtros, omnibus paſſim ad Sacros Ordines litteras teſtimoniales annuere, modo annorum trium aut quatuor ſtudium perfeceſſerint; & ſaltem ab exterioribus gravioribus que criminibus ſe continerint; parum attendentes, num ea ſint vitæ morumque integritate, quæ Miniſtrum Eccleſiæ decet?

XXXV. Frequenter nec certius de Ordinandorum Regularium meritis & idoneitate ad Sacros Ordines requiſitis, argumentum habebunt Epifcopi ex teſtimonio Superiorum.

Quam multos enim videmus Monasteriorum, præſertim eorum, quæ ex Miſſarum honorariis vicitate ſolent, Superiores, qui omnes paſſim, mox ut debitam ætatem attingerint, ad ſacrum etiam Preſbyteratus Ordinem mittunt; atque teſtimoniales litteras concedunt? cum tamen certum ſit, nec ipſi dubitare poſſint, quin in omni communitate ſint, qui non ita pietate ac caſtis moribus ſunt conſpicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab aliis poſſint expectari; quemadmodum in promovendis ad Preſbyteratum requirit Synodus *Trid. Seſſ. 23. cap. 14. De Reformat.*

Certitudinem de idoneitate Ordinandorum ex teſtimonio huiusmodi nullam ſibi formare poſſet Epifcopus, niſi credat, omnes in Monasteriis illis profeſſos, ubi ætatem legitimum attingerunt, ea pietate & caſtis moribus eſſe conſpicuos, ut Sacris initiari queant.

Hoc expendens Hallerius dicere non dubitavit: „Non adeo Superiorum Regularium fidei credendum eſt, ut quos illi tamquam dignos obtulerint, abſque ullo alio examine, atque diſcuſſione ad Sacros Ordines Epifcopi recipiant... maxime cum notum ſit, inquit, totius Monasterii intereſſe, ut quam plurimos Ordinibus Sacris initiatos habeat; & facile probi etiam & boni inſita hominibus omnibus cupiditate Ordinis ſui gloriæ promovendi, qua Regulares præ cæteris maxime flagrant, quod Ordinis ſui amplificationem & ornamentum ad Dei gloriam, & Eccleſiæ utilitatem ſpectare præſertim arbitrentur) facile inquam, hæc cupiditate ducti abripiantur, ut levius de ſuis cenſeant, quam par ſit, & in pondere, & pondere judicent ſuorum induſtriam, ac dotes magnificè; Sacerdotii, & reliquorum Ordinum Eccleſiaſticorum dignitatem tenuiter æſtiment. „De SS. Ordinat. in *append. ad ſeſt. 1. s. 3.*

Van Eſſen Jur. Eccl. P. II.

XXXVI. Hæc ſatis probant, quam leviter procedant Epifcopi; quantoque periculo quaſi ultro ſe exponant, manus citò aliquibus imponendi, & communicandi peccatis alienis, qui nulla prævia de Ordinandis, eorumque Superioribus & Præſectis inquisitione, omnes, quantum ad mores vitæque integritatem & caſtitatem, tanquam ſat probatos admittunt, qui quaecumque ſuorum Superiorum & Præſectorum teſtimonium adſerunt; tametſi ſciant, aut facile ſcire poſſint, quam hi faciles ſint in dandis huiusmodi teſtimoniis.

XXXVII. Examen verò Ordinandorum coram Epifcopo circa ſcientiam ferè unice inſtitui ſolet: idque non raro ſat perfunctoriè, propoſitis per Examinatores quaſtionibus nonnullis ſterilibus ac ſpeculativis, v. g. quot ſint litteræ ſuperbiæ; quot partes potentiales temperantiæ, aliſque ſimilibus; quem examinandi modum pro merito exagitat eruditus auctor notarum in *Epistolam 26. lib. 13. S. Gregorii Nota 4.* additque, „Cenſerem primò quidem inquirendum eſſe de moribus, tum de prudentia, de ſenſu communi, an ſciendi modum habeant, an lectioni Scripturarum Sacrarum vacent, quodnam ſit eorum Canonum ſtudium, an ſint & doceri & docere habiles.

Hic examinandi modus ſi conferatur cum his quæ in Concil. Mediol. *V. parte 2. titulo de examinandi ratione* à S. Carolo traduntur, apparebit, examinandi rationem ibidem præſcriptam, non eſſe à modo examinandi jam deſcripto multum diverſam; atque inter alia vult de omni Ordinando inquire; an in orationis ſanctæ ſtudio ſit uſque verſatus. Quibus meditationibus inſtructus Deum tactus oret. Qui orationis modus. Qui illius fructus, quæve utilitates. Quot quibusve partibus illa conſtet. Quæ regulæ præparationis ad orationem.

XXXVIII. Deinde in examine Ordinandorum in Preſbyteros inter cætera hæc ſigillatim ſtudioſè perquiri voluit; An piè & fideliter in miniſteriis ante actis ſe geſſerint. An ſpectata pietate, atque caſtis moribus. An præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eo expectari poſſint.

Post hæc nonnullis inquirendis circa Sacrificium Miſſæ propoſitis ſubjungit. „Cum verò à cæteris omnibus ut præſcriptum paulò ante eſt, qui Clericali militiæ adſcribantur, de vitæ ſpiritualis ſanctioris que inſtitutis, atque exercitationibus perquiratur, tum maxime ab iis, qui vel Sacerdotio initiantur... A quibus omnibus & ſingulis, cum ad examen veniunt, præter cætera quæ ad ſanctæ ſpiritualis vitæ uſum pertinent, ea maxime explorentur, quæ de orandi modo, deque omni ſanctarum meditationum, celeſtiumque contemplationum exercitatione ab aliis, qui in eo genere religioſè ſe exercuerunt, tradita ſunt.

XXXIX. Ut autem Examinatores certam ſibi formulam proponant (inquit) quæ illorum qui examinantur & litterarum doctrinam, & vitæ clericaliſ diſciplinam, & rei Eccleſiaſtica peritiam experiantur, in omni experimento, examiniſve ratione, ſacris Bibliis, Catechiſmo Romano, in primis, Concilio Tridentino, ſacrorum Canonum Decretis, & aliis Pontificiſ Constitutionibus, Synodiſque tum Provincialibus, tum Diœceſanis utantur, unde ſuas interrogationes hauriant, quibus, prout eſt illorum ingenii captus, explorent eorundem & ſcientiam & Eccleſiaſticarum rerum notitiam atque uſum.

Synodus Tridentina *Seſſ. 23. cap. 7. De Reformat.* requirens ab Epifcopo, aſſumendos in Examinatores, „Viros prudentes, peritos divini legis, ac in Eccleſiaſticis ſanctionibus exercitatos, nonne ſat inſinuat, in hiſce præcipue examen Ordinandorum inſtituendum?

XL. Interim ex hætenus dictis non difficulter intelligitur, quàm parum juvare poſſit examen unius mediæ aut etiam integræ horæ, ut plena ac conveniens de Ordinandorum capacitate & idoneitate hauriatur notitia; quamque temerè ad Ordinationem vi huiusmodi examiniſ procedatur,